

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Interea tamen in pleisque etiam urbibus Cæsareis, Vienna & Neapoli excepta, concionatores pii & moderati in publicis templis tolerantur. Et in ipsa urbe Vienna totos quatuor menses, dum ibi vixi, singulis hebdomadis aliquoties Collega meus, Christophorus Reiterus, palam in nobilium aedibus docuit & Cœnam Domini distribuit. Toto igitur corde pro his incipiæ emendationis Ecclesiarum Filio DEI gratias ago: eumque precor ardentibus votis, ut hæc exordia clementer provehat & confirmet opus, quod operatus est in Aust. propter Templum sanctum suum. Bene & feliciter vale, Pragæ in Boëmia D. XXIV. AUGUSTI, ANNO 1569.

David Chytræus.

CLXIII.

S Gratiam magnam tibi, vir reverende & charissime frater, habeo pro summa humanitate tua, officiis & beneficiis, quam conferre soles prompte ubertimque non in eos tantum, quos tibi commendo, sed & reliquos, quos ad me quovis modo spectare intelligis. Declaras ea in re, & singulare erga me benevolentiam & studium fovendi piam *deus non vult* eo quantum nostræ Ecclesiæ profuerit, respiciam expertus. Nunc verò habes M. Johann. Fueglinum, egregium Christi organum, fratrem, Coccio, mihi que, intimum & conjunctissimum, cui libuit T. D. & Ecclesiam invisere, cum alio ministro juvene: & accessit aliud fortuitum negotium, ob juvenem quendam popularem meum Bernatem patricium, quem sui cupiunt, apud pannicidam virum pietatis spectatæ negotiatorem degere, quo id genus negociationis perdiscat, numeraturi, quod æquum fuerit. Commendo ergo fratrem tibi, ceu meipsum, & per tuos rogo dirigas eum ad aliquem ex vestris, cui commodè juvenem commendare queat; & utinam possit apud Hamerum consulem habere locum. De concordia cum Majore & suis, paucis ad Illyricum rescripsi, cui cum non desint vestra consilia pia & salutaria, non est, ut à me multis doceatur. Equidem veritati, quam profiteretur, circa justificationem, nolim quicquam detractum, quod singulare per Lutherum, electum DEI organum, in luce prolata, citra jacturam religionis convelli nequeat, & non injuriâ metuit vir singulari DEI spiritu præditus, & usu non vulgari tritus, ne puritas ejus doctrinæ quovis modo inficiatur. Sed & clarissimum virum, D. Jacobum Andreæ, eodem spectare nihil dubito, nec recusaturum magis perspicuè explicare quædam, si requiratur: ut in eam convertatur formulam, quæ sit scripturæ conformis & Ecclesiæ salutaris. Quæ nova sint ex Gallia, ex iis cognosces, quæ adieci. Bene vale

A. 1569.

PARS TERTIA.

291

in Christo Jesu, vir reverende, Domine & frater observande & mihi ex animo dilecte. Scripsi Basil. 6. Septembr. an. 69.

Ignosce lituris, quia ob occupationes non licuit describere.

T. D. totus

S. Sulcerus.

CLXIV.

S Insignem charitatem pietatemque erga se tuam, vir ornatissime, prædicat Fueglinus noster & spero, professionem ad vos suam atque Wirtenbergicos fructuosam fore etiam vestræ ecclesiæ. Habemus gratiam omnes nos R. T. D. & cupimus vicissim nostram erga te tuosque voluntatem declarare, si detur occasio. Sed quemadmodum Rhenus hinc ad vos labitur, non relabatur, sic cum multi ex nostris vobis subinde offerantur, nulli aut certè paucissimi isthinc ad nos ex pietissimo collegio vestro concedunt, quorum conversatione resceremur. Nunc etiam clariss. vir, D. Theodorus Zvingerus, cum privigno patricio juvene venit, quem de nomine notum esse isthic nihil dubito, vel propter egregium opus, quod præstitit in Theatro vitæ humanæ continuando. Nobis conjunctissimus est, piè de religione sentit, summæque virtutes in hoc viro certant. Oporini piæ memoriæ ex sorore nepos est, Conradi Lycosthenis privignus, primi apud nos Tribuni gener, fortuna ampla, gratia apud omnes, idque merito suo singulari. Medici ordinis nunc Decanum agit dignissimum & linguæ Græcæ professorem, quod te, vir clarissime, scire volui, ut intelligeres, tutissimè cum illo, nec sine fructu de religione cum ipso te familiariter colloqui posse, quo augeatur & confirmetur arctissimum inter nos Christianæ unitatis vinculum. Si filius tuus ad nos venerit, dabimus operam, ne desint illi nostra officia. Minutionem sanguinis, de qua scripseram, si experiri T. D. libeat, non conveniet malè dies Sabathi proxima, hoc est, octava hujus mensis, quæ ut salutaris sit, præcabor enixè Dominum. Bene vale, Domine & Frater Reverende & charissime, una cum collegis, totaque familia. Salutat T. D. Coccius. Scripsi Basileæ, Calend. Octobris, Anno 1569.

R. T. d. totus

Sulcerus, D.

CLXV.